

QKI, 26.

In
2879

De
Romano Germanorum Regno,
ab
Saxonibus sustentato, & in pristinam dignitatem restituto,
disputationem ingreditur,
atque item

Juueni Nobilissimo & Pereximio,
**FRIDER. GOTTL.
PITSCHMANNO
ZITTAV.**

Humanitatis studiis, doctrinisque assidue excuto,
Mens. Maj. An. R. S. CIO ID CC XL

In Academiam Philyream honorifice abituro,

Inter excitatos ex arena plausus,
cunctam uitam,
et diuinis et humanis bonis,
adfluentem


P. P

Samuel Fridericus Bucherus, Gymn. Con-Rect.

Zittauiae, stanno Ioannis Christiani Stremelii.

Quemquam bonarum artium et disciplinarum studiosos, a Zit-
rauiensibus discedentes, quam plurimos, non sine ingenti
laetitia, dimisimus: Maiorem tamen, ne quid dissimulemus,
hilaritatem nullus umquam nobis abitus attulit, quam iuuenis hone-
stissimi FRIDERICI GOTTL. PITTSCHMANNI, etiam si sui deside-
rium in animis nostris uehementer relinquit. Ex eorum enim iucun-
dissima decedit familiaritate, quos ab ingenii magnitudine, et generis
dignitate, ad eruditam illam communitatem, coniunctos temper, con-
sociatosque uidemus. Ut igitur clara maiorum laus, et res gestae,
ab historiae, quae est constans memoria uitae ac uetus tatis nuncia,
literatissimis lectoribus, grauiter testatae, nostrum hominem, ad au-
itas et patrias virtutes, etiam in Academiis, in quibus admodum exi-
guum nobis uitae curriculum diuina prouidentia, rerum humanarum
moderatrix, circumscriptis, eo amabilius et copulatius asciscere, alii-
que adolescentes, qui, excellentibus ingenii prædicti, conformandae
gloriae spe excitantur, unde quamdam, nobilitatis imitatione, hone-
ritatem assequantur, studiose diligenterque exquirere possint: Celsis-
simam sedem honoris et dignitatis, euidente ac graui testimonio con-
firmare, et publicis tabulis monumentisque bonorum principum con-
signare, decreuimus. Commemorabimus enim de consiliorum con-
stantia, de industria, de uirtute, de animi quandam fortitudine, qua
Germaniae regnum, ab hostibus labefactatum, a Saxonibus est sustentatum et re-
stitutum.

Vittekindum M. eiusque successores, in reprimendis et compescen-
dis Germanorum hostibus, operam suam strenue commodaſſe, me-
moria proditum legimus, ut, quo barbari acrius ac uehementius in
patrias iedes irrumperent, eo clarius Saxonicae splendor dignitatis
eluceſceret. Prae ceteris Otto, Henrici I. parens, quae ostendit, praec-
laræ signa uirtutis, perspicuis declarauit testimoniis, tantaque ualu-
it autoritate, ut ordines eum Germaniae Ludouici IV. septem annorum pu-
eri, patrem bonum et tutorem fidelem instituerent, et, cum Ludouicus
moerore confectus, nondum uiginti annos natus, de uita discessisset,
imperatorem solemniter renuntiarent. Licet uero omnes gerundae
rei



rei publicae partes optime teneret, tamen cum in ualitudine collucta-
tus, graue uastumque onus, magna animi fortitudine, recusauit, atque
Germanis autor exstiterit, ut summam imperii in *Conradum I.* qui *Cunegundem*, *Caroli Crassi filiam*, uxorem ducebatur, reicerent. *Regino L. II.* p. 71.
Lambertus Schaffnaburgensis Saec. XI. Monachus *Hersueldensis*, quo nemo,
testibus *Jos. Scaligero, Lipsio, Meibomio et Bosio* politius, aut ex-ctius, inter
ueteres, res gestas, in primis *Henrici IV.* et *Gregorii VII.* consignauit,
scriptor fane supra saeculi captum prudens, p. 155. *Sigebertus* p. 576. et
Vitichindus, Saxo Monachus Corbeiensis Saec. X. (*Conringio de Vrb. Germ.*
§. 1.) *Saxonicorum scriptorum antiquissimus dictus, de rebus gestis Sa-*
xonum, Henrici Aucupis et Ottonis I. tribus libris piaeclare exponit. *Rei-*
neccius in Praefat. Vitichindi L. I. p. 6. Hic *Conradus* cum ex uita di-
scensum meditaretur, aduersarium suum *Henricum I.* ex *Vitekindi M.*
uetutissima gente, patre *Ottone*, *Saxonum* duce, matre *Luitgarde, Arnul-*
phi Imperatoris filia, natum, auita commendatione, quae a pietate et
prudentia proficilcebatur, cunctis fere, principum suffragiis compro-
batum, Germanorum regem, quem imperatoris nomine circum fer-
re moris est, accommodissime alcuiuit. *Vitichind. L. I.* p. 7. Laudis post-
modum praemia, quae in *Saxones* quam maxime conuenire uideba-
tur, ac constituendae conformandaeque ciuitati Germanicae integrum
saeculum dederat, incorruptis ueluti legibus sancta, ab *Ottone*, duce
Saxonum, et *Henrico Aucupe* in tres *Otones* fuit translata, ut ab his quin-
que spectatae uirtutis principibus nihil leuitatis, aut inconstitiae pro-
ficilceretur. Cum infiniti fere hostes, ut *Hungari*, ut *Poloni*, ut *Slavi*,
ut *Boiemi*, ut barbarorum alii, ex praesenti iam tranquillitate, magnas
belli tempestates, quae regiones uehementer deiecerant, excitarent:
Et uirtutis gloria, et consiliorum prudentia, et excelsi inuictique ani-
mi magnitudine, quae sunt in re publica amplissima, omnia laudabi-
liter et copiose consequebantur, ut *Germania*, ingentibus atque uastif-
simis turbarum fluctibus demerita, et honore magis, quam antea flo-
rere, et abundare cumulatis fortunae bonis cooperit. Restitutae igitur
libertatis initium facimus ab *Henrico Aucupe*, qui, anno saeculi de-
cimi uigesimo, ad gubernacula regni Germanici accessisse legitur,
Austrasiam, a Carolo Simplex, Galliarum rege, erexit, Germanias adiecit,

*Hungaros, quadraginta millibus hostium prostratis, ad internectionem,
prope Martisburgum deleuit, finibusque nostris tranquillitatem reddi-
dit, Gormonem cum Chertonesi Cimbricae gentibus, Henetos, cunctos-
que fere Slauos, in gyrum rationis remisit.* Vitichindus L. l. p. 9, 11, 14, 110.
Vrspergensis (sive *Conradus a Lichtenau*, *Abbas Vrsperg.* Chronicon ab
orbe condito usque ad *Fridericum II. Imper. MCC XXIX.* res, praeci-
pue *Germanorum* gestas, multa diligentia utilissime prolequutus est) p.
209. *Otto Frisingensis IV. 18. t. 69.* (Episcopus *Frising.* *Conradi III.* frater,
magnae uir doctrinae, memorabiles actus Libris VII. usque ad annum
M C XLVI. et gesta *Friderici I.* imperatoris, duobus libris, enarrauit,
sapientiae dignitatem, cumque ea, *Aristotelis* commentarios Graecos
Parisiis in Germaniam primus apportauit. *Conring.* de Antiquit. A-
cadem. Diss. III.) *Helmoldus Ottonis Frising.* σύγχρονος, chron. Slau, auctor
et Presbyter *Lubecensis* L. l. 8. p. 24. *Luitprandus Episcopus Cremonensis* L.
II. p. 10. lqq. et L. III. p. 120. (*Ihalus*, aut *Hispanus, Berengarii II.* Italiae re-
gis, scriba, uixit saeculo X.) *Regino* p. 75. et *Cranzius* L. III. *Sax.* p. 77. et
Vandal. p. 63.

Vt uero belli tempestas, quae erat a barbaris extimescenda, po-
tissimum sedaretur, et *Germani* in posterum tranquille placideque ui-
tam traducerent, *Saxones Germaniae* ciuitates in prouincias et ditio-
nes descriperunt, quarum tutela ac forma honesti et tamquam faci-
es praefectis, quos comites uocabant, granissime fuit commendata.
Inter hos prouinciarum praesides eminent comites, nostra memoria,
limitanei, *Marggrauii*, die *Marggrafen* adpellati, qui uelut armati cum
imperio in praesidiis collocati, summique legum custodes constituti.
Eiusmodi praefecture Germanicae praefidem *Graecorum barbari* μαρ-
κησιον, uxorem μαρκησιον, *Itali* Marchese, *Galli* Marquis nominibus cir-
cumgestant, tametsi, procedente etiam tempore, a praefectorum cum
imperio interdum potestate discessit, et in generis, ac hominum pri-
uatorum nobilitatem demigravit. Quemadmodum autem literati,
in replicandis prisorum caerimonijis, diuerlas in sententias distrahu-
tur: Ita permulti quoque, in repetundis originibus, ab se quam lon-
gissime dissident. Verustissimis *Teutonum, Celtarum, Saxonum* gentibus
prouinciarum rectores et omnes dynastae, *Cunnagi iure* memorabiles,
quos

quos leges dominos capitales appellant, Marchetae salutantur dominum et equites, a vocabulo Mar, March et Marc, quod dominum, maritum et equum significat. *Io. Georg. Keyslerus Antiquit. Septentrion. et Celticar.* p. 484. lqq. Orientis populis radix est maria, altus, eleuatus, dominus, et Arabi margin ager, praefectura, certis finibus definita, eadem notione, qua *Hebraeis*, *Syris* uctustissimisque *Germaniae* incolis gai et gau ein *Gau* (unde *Brisgau*, *Algau*, *Sundgau* &c.) insignitur, quando quidem vox *Gau* *Hebraeae* et *Syriae* est originis, *Arabum* scriptoribus non intrequens. *Christianus Franciscus Paulini de Pagis Antiquae Germaniae* p. 65. *Marcha*, seu *Marca*, inquit, originem habet *Celticam*, significans limitem, seu terminum et regionem limitaneam, cui qui praeerant, dicebantur *Marchgrauii*, incolae *Marcomanni*. *Hi tempore Caroli in regno Francico numerabantur Avaricus, Chauentanus, Foro Iulienjs, Saxonius, Hispanicus et Nordmannicus*. Circumscribit itaque praefecturam ciuitatis, ut ueterum erat *Marca Gandersheimia*, *Ruidena Marca*, *Alunga Marca*, *Heringebusa Marca*. *Meibomius* not. in *Diplom. Thassilon.* T. III. *Rerum Germanic.* p. 194. et ad *Chron. Comit. Schauenburg.* T. I. p. 525. *Marcarum* etiam uestigia exstant in legibus *Alemannorum* Tit. 46. 47. *Boiorum* Tit. 12. C. 9. *Ripuariorum* Tit. 60. §. 5. *Langobardorum* et aliorum, ut doctissimorum virorum opinio, qua cum *Ioanne Seldeno de Titul. Honor. P. II.* p. 150. hanc notione a *Geis*, *Vandalis* et *Slavicis* originis gentibus in Europam transire allatam, arbitrantur, maximam ueritatis similitudinem ostendat. *Amoinus*, monachus Gallus, in agro *Vesonino* natus, L. IV. C. CIX. *Annal. Francor.* ad An. 861. (uixit circa annum 844. ipso teste L. IV. C. 13. et de rebus gestis Francorum; a primo rege *Faramundo* usque ad obitum *Ludouici Pii*, *Caroli M.* filii, commemorans, istorum temporum recordationem diligenter est complexus) et *Dirmar. Chron.* L. VII. *Annal. Francor.* edit. a *Petro Pitheo* adornatae, an. 873. Ut uero *Marchio* fuit praefes et custos prouinciarum, quae Germanorum fines spectabant, ita *Marca* *Graenzio* *Vandal.* L. III. C. 16. huiuscemodi praefecturam designat, *Grauui* autem, die *Graven*, *Graven*, ueteri Germanorum et *Saxorum* notione, erant iudices et magistratus, die *Ober-Richter*, ueluti seniores, quoniam dignitas haec in primis in spe*tatae* viros prudentiae, senectutis et autoritate et grauitate circum fluentes, sapienter conferbatur:

rebatur, quae quidem consuetudo inter *Hebraeos*, *Graecos* et antiquos
quondam *Christians* obtinuit, de quibus singulis *Io. Seldenus de Syne-*
driis Veterum Hebraeorum perquam scire, literatiusque, quam cete-
ri, exponit. *Eccode Rebeccus*, uel, ut ab aliis nominatur, *Eyke Ribicouus*
Saec. XIII. eques Saxonie, autor *Speculi Saxon.* L. II. Art. XII. fol. 192
Petrus Albinus in der Meissen, *Land-Chron.* T. 9, C. 9. p. 102. (*Saeculi XVI.*
scriptor, ex gente nobili a *Weiß*, *Saebergenis Misnicus*, Professor Poiteos
Vitemberg. Historianum scriptor *Saxonis et Augusti ac Christiani I.* inti-
mus consiliorum scriba, vir rerum historicarum peritissimus.) *Marchstein*
est lapis regundorum finium insigne. *Specul. Saxon.* L. II. Art. L. f. 271

De prima horum praesidum origine diuerlam in sententiam
disputatur. *C. Sollius Sidonius Apollinaris*, Aruernorum praeful, qui anno
482. de praesidio et statione huius uitae decepsit, comitem limitum
ad Danubii ripas collocat. *Ioannes Thurnmaierus*, ab urbe Auenisber-
gensi Bojoariae *Auentinus* adpellatus, in qua anno 1466. natus erat,
Annal. Boiorum, *Schirensum*, *Vtinensum* et antiquitatum Germanicarum
scriptor, cuius insigni doctrina erudit obstupescunt, comitum digni-
tatem limitaneorum antiquissimam censer. Certe de hac re mihi du-
biu[m] non est. Quantumuis enim Historicorum nemini contigerit,
Marchionis uocem, ante Caroli M. tempora, ex antiquis Germanorum
marmoribus et commentariis replicare, tamen uaria comitum offici-
a, iam *Constantini M.* aetate, abiisse in consuetudinem, atque item recto-
res et prouinciarum moderatores, comitum nomine, quod in pom-
parum magnificentia assiduos imperatorum sele comites adiungerent,
antiquitus fuisse cohonestatos, ex uetus *Graecorum* monumentis, eru-
tum legimus. Nomen etiam illud ante *Constantinum M.* amicis prin-
cipum traditum fuit. *Graeca uox* κάμης reperitur in commentariis
Graecis, quos ipse *Tullius* rituales libros uocat, tempore *Dioctletiani D.*
Georgius dicitur κάμης τὴν ἀξίαν, comes dignitate, et in Actibus Concilii Chal-
cedonensis *Flanius Ariauindus* *Martialis* laepe nominatur κάμης. *Dios-*
corus Act. I. p. 118. edit *Bin.* Tom. II. P. I. *Seditiosi* estis, δός τες κάμητας, et
postmodum εὐσῆλον δι κάμητες. *Io. Seldenus de Titul. Honor.* P. II. C. II.
p. 29. sqq. qui, tales limitum praesides, ad gubernacula rei publicae
Vescorum, ledisse, memoria proditum reliquit. Primus comes *Barce-*
lonensis uocauit se *Conde*, *Duke* et *Marques de las Espanas*, quod ex diplo-

mate eius anni 694. probat Silazar de Mendoza. Lotharingiae duces et alii in antiquis titulis dicuntur Marchiones, et item comites Burgundiae, sub initium Saec. X. ac custodes et gubernatores Normanniae, ad annum 991. Guilielmus Sommerset Malmesburiensis, Anglus de gestis Reg. Anglor. L. II. C. 10. (scripsit libros quinque de rebus gestis Anglorum, ab anno 449. usque ad annum 1127. historias nouellas ab anno 1127 usque ad annum 1143 et libros quatuor de rebus gestis pontificum Anglorum.) Aimoinus de reb. gest. Francor. L. V. C. 2 vel qui Aimoinum assidue et continuatione prosequutus, testis est, Marchiones, utsines regni tuentes omnes hostium excursiones arcerent, iussu Caroli M. ciuitatum quarumdam finibus praefuisse. Veteras quoque dignitatis, ex Caroli lege de regia imperii Transalpini sede, teste Melchiore Goldasto ab Haiminsfeld, viro antiquis Germaniae monumentis praeclaro merito, Saec XV. et XVI. (scriptores uetus rerum Alemannicarum, scriptores rerum Suevicarum, quae in paucissimorum sunt manibus, et instrumenta Romani imperii collegit, et monarchiam imperii Romani in lucem emisit) et ex Vita Ludouici Pis apparet. Postremis temporibus plures sunt creati, quos inter, ex mente Seldeni, Marchiones Brandenburgiae, Moraviae, Misniae, Badensis, quibus addimus Lusatiae rectorem, eminebant, die hohen Margravien appellati. Licet igitur eiusmodi praefides clausi et gubernacula rerum publicarum, ante Caroli M. tempora, et Carolingorum aetate, tenerent, in Germania tamen Henricus Auceps primus Marchiones terrarum suarum finibus praefecit, antiquissimos aliarum gentium mores sequutus. Qua de causa ipse Seldenus de Tit Honor. P. II. C. I. p. 151. prioribus comitibus ius, ab ho- diernis ICtis feudale dictum, denegat, additique, ante Henricum I. non reperio creatum aliquem Marchionem, cuius Marchionatus nunc adhuc superfit. Commodissime Conradus Samuel Schurzleischius de Origin Pomeran §. 8. not. (t) in Martini Rang. Pom. Quicquid uero Ernestus Brotnf. Chron. Merseb. L. I. C. 18. qui uixit Saec. XVI. quaestor primum Portensis, postea communitatis Martisburgensis legatus urbanus et procurator publicus, Petrus Albinus in der Meissn. Land. Chron. Tit. 9. p. 106. an. 1590. Paulini de Pagis Germ. p. 65. et Grosserus Memorab. Luf. P. I. p. 13. de Marchionibus antiquis memoriae prodiderunt, de comitibus extra Germaniam accipendum est. Innekerus non ineleganter in der Anleitung zu der mittlern Geographie P. II. C XIII. p. 471. sqq. Ob es zwar den Schein haben möchte, daß zu Caroli M. Zeiten Marchiones gewesen seyn, nachdem er selbst derselben nahtentlich gedencket, in einem Reichs-Tag. Abschiede zu Aachen de anno 804. beym Lehmanno Chronic. Spir. L. 2. C. 15. f. m. 67. 6. so ist doch solches nicht von den Marchionibus in Deutschland (wie Herr Luca thut, im Fürsten-aal p. 740) anzunehmen, sondern von andern Ländern, außerhalb Deutschlands, so unter Caroli M. Gebiethe stunden, wie der Ältere Herr Meibomius in Notis ad Diploma Thassilonis Bauariae ducis O-



AKT 2.879 X 338 7204

pusc. Histor. p. m. 484. gang recht errinnert. Unter den Carolingis sind nur Pfalz-
Grafen, Grafen und Cent-Grafen, und weder March noch Land-Grafen im Deut-
schen Reiche gewesen. Sed cum praesentis nos instituti ratio iam, filium abrumpe-
re, iubeat, quae restant, proxime sumus persequunturi.

Iam oratio, unde digressa est, revertitur. E disciplina scholastica; in qua honestum existimamus, moderate, continenter, seuere, sobrie sapienterque uiuere, cum laude excedit Iuuenis humanissimus FRIDER. GOTTL. PITSCHEMANNVS, altiorumque gradum excellitatis assecuturus, Lipiam se conferet, cuius quidem commendatio eo facilior mihi, et explicatior uidetur, quo plures disputationem publicam de templo portatili Sinensi, in Bibliotheca Senatoria Zittauiensi, conspicendo, illustri in amplissimum hominum confessu, ingressus, bonitatis et doctrinae spectatores et locupletissimos testes reliquit. Patrem ueneratur M. CHRISTIAN. GOTTL. PITSCHEMANNVM, sacerdotem Zittauensem, de rebus sacris et eruditis, immortaliter merentem, ac regiae Berolinensis literatae communitatis socium, multis iam reconditae doctrinae documentis atque libris ad posteros commemoratum, *praecessorem* quondam nostrum *clarissimum*, qui, ut ipse de ingenuis artibus uirisque excellentibus non tumultuose, non praefrauste, non inscite, more debacchantium ex potionis spectaculo, sed circumspete, sed plenissime, sed eleganter sentit, unicum hunc filium, ad humanitatis studia, non modo uehementer est exhortatus, uerum et doctrinis ita expoliuit, et hominem reddidit, ut ei, quod longe pateat, et extendat se latius disciplinarum utilitas, quam primum circumspiciendi appareat. E tumulo beatae *matris* Annæ Marthæ, quam *gens generosissima* de *Lancisch* tulerat, superiorum memoriam recordanti prospectant porquam multi uiri, in quibus laudabile quoddam honestatis exemplar, non ex aere ductum, sed uirtute exscriptum expressumque, peramanter intuetur. In *Gymnasio nostro*, per sex, et quod excurrit, annos, in discentium celebritate uersatus, magnis itineribus, ad sapientiae, quam diuinæ, tam humanae, ad linguarum, ad eloquentiae, ad historiae, ad reliquarum literarum decus et ornamentum, usque adeo contendit, ut nobis, qui et ipsum priuatim, bonas ad scientiarum artes, formauimus, et, in disputantium perorantiumque conflictu, non ingenio et memoria tantum ex-promptum, sed et usu exercitatum experti fuimus luculentissime, summa excitetur spes, futurum, ut et *defuncti* aus M. Georgii Gottl. Pitschmanni sacerdotis olim *Sigersdorffensis*, uiri literati, ac studiis doctrinisque dediti, *optimi parentis*, *Seligm.* et *Lancischiae gentis* famam et gloriam si non superet, tamen aliquando assequatur. Maestæ igitur noua uirtute, *Iuuenis ornatusime*, exempla, quae satis habes in promptu, colligendæ honestatis diligenter perlustra, perlustrata diligentius exprime, expresa quam diligenter cum aliis communica. Hucusq[ue], illud pugna, hoc enitere, et nostri non immemor, ut multa paucis complectamur, diuinis humanisque bonis fruere cumulatissime! Sic tibi, per diuinas, per humanas, per iucundas, per luctuosas huius miserae profectio[n]is uicissitudines, ad aeternos illos beatorum hominum confessus et copiosissime et laudabiliter contendenti, prospere semper omnes res euenerint. P. P. VIII. Calend.

Maij A. S. R. c. 12 19 cc. xl.

1618

N. R.



QKI, 26.

Pn
2879

De

Romano Germanorum Regno,

ab

Saxonibus sustentato, & in pristinam dignitatem restituto,
disputationem ingreditur,

atque item

Juueni Nobilissimo & Pereximio,

**FRIDER. GOTTL.
PITSCHMANNO
ZITTAV.***Humanitatis studiis, doctrinisque assidue exculta,
Mens. Maj. An. R. S. CIO ID CC XL*

In Academiam Philyream honorifice abituro,

*Inter excitatos ex arena plausus,
cunctam uitam,
et diuinis et humanis bonis,
adfluentem*

P. P

Samuel Fridericus Bucherus, Gymn. Con-Rect.

Zittauiae, stanno Ioannis Christiani Stremelii,

